

Vangerov.

Je

Gracial

legit-

latinitus





19

51

H. iur. l. num. 14.

DE
GRAECIAE LEGISLATORIBVS
 QVAEDAM EXPONIT

ATQVE
AMICIS SVIS TENERRIMIS
 STADIO ACADEMICO FELICITER PERACTO,
 PATRIAM REDEVNTIBVS
 FAVSTA QVAEVIS ADPRECATVR
WILHELMVS GOTTLIEB VANGEROW

SEDINO-POMER.
 IVRIVM CVLTVR
 REGIAE BONAR. ARTIVM SOCIETATI, QVAE GRYPHISWALDAE
 FLORET, ADSRIPTVS

P. 7.



D. X. APRIL. MDCCLXV.

HALAE MAGDEBVRGICAE,
 LITTERIS IO. FRIDERICI ET FRID. AVGVSTI GRVNERTORVM.

23. 4. 06.

gepost 3° CK.



GRACIAE LEGISLATIONIS

(BY LEGAL TENDERS)

ALIAS

AMICIS SVIS TENERIMUS

STADII ACCESSIONE TITULUM REPERTO

PATRIAM REPERTIMUS

HABITA QUAEVIS ADREPERAT

WILHELMVS GOTTFRID VON

REGIAE SOCIETATIS ACADEMIAE

KONFRIED
UNIVERS.
ZVHALLE



D. K. APRIL MDCCCLXV

HAER MAGDVBURGAE
LIT. ERIS IO ERNDICHTUNG AVGVSTI QUARTIVM

100



VIRIS
PRAENOBILISSIMIS ATQVE DOCTISSIMIS

I. F. LOEPPER

AD FINI

ET

AMICO SVO TENERRIMO,

NEC NON

C. W. WIPPERMANN

AMICO SVO EX PAVCIS DILECTISSIMO

S. P. D.

W. G. VÄNGEROW.

Trado VOBIS, AMICI DILECTISSIMI,

otii mei atque a studiis secessus, speci-

men; trado VOBIS de Graeciae legislatoribus quae-

dam, in quorum legibus, moribus, ac institutis quon-

*

dam

dam sancitis, perlustrandis aliquo abhinc temporis spatio
fui occupatus. Amphoram quidem instituit titulus,
sed in urceum exit; *magnifica multa ostentat libellus,*
verum exigua sunt, quae in illo traduntur. At sane
pluribus de Graeciae ^{νομοθετοis} exponere apud animum
institueram, nisi temporis, ac laborum ratio, me vel
inuito, obstitisset. De Zaleuco ideo et Charonda dunta-
xat egi, ceteros, Deus si otia fecerit, data opportuni-
tate persecuturus. Restat, ut VOBIS, AMICI
SVAVISSIMI, fausta hac occasione animum in
VOS meam declarem, VOBISQVE stadium Aca-
demicum fausto omine ingressum, ac felici sidere per-
actum ex animo gratuler. Ac qua animi voluptate
amici munere perfungor! Ex quo enim VESTRA
amicitia frui mihi contigerit, beatum me praedicant,


is familiaribus vii, qui in virtutum studia, in scientias excolendas, artes pertractandas, mores perpoliendos omnium et eruditissimorum virorum, et comilitonum adplausu vires nervosque intenderant.

Quanto studio vasto VOS Iuris Romani mari commiseritis; quanto labore per spatiosissimum tam civilium quam publicarum legum pelago enavigaveritis; quanta denique assiduitate sublimioribus ipsis, et quae ab humanitate nomen traxerunt, artibus operam dedicaveritis, egomet ipse testis sui spectatorque. Salutetis itaque patrios lares, et tot vigiliarum, tot studiorum, et laborum fructus carpere uberrimos. Eat is fausto, felicique pede, eat is ac Academicorum studiorum laeti recordemini. Contigere TIBI, ad finis suavissime, quem praeter necessitudinem, summo amore prosequor,



contigere TIBI, WIPPERMANNE exoptatissime,
viva atque eadem optima majorum exempla, quos po-
tissimum imitandos habetis, quibus natura VOS esse
voluit simillimos. Vivatis itaque Deo; vivatis patriae;
vivatis rei litterariae ac civili; vivatis splendidissimis
aeque ac illustribus familiis VESTRIS; vivatis de-
nique et mihi, faustis qui VOS absentes omnibus atque
amplexibus persequetur. Dabam Halae D. IV. April.
MDCCLXV.





Quantum ad reipublicae salutem obtinendam, civiumque incolunitatem conferuandam, quantum ad principis dignitatem tuendam, extollendam, ac aeternitati consecrandam leges conducant salubres, vel me tacente, res ipsa declarat.

Quaecunque enim instituta, quibus ad conformandam vitam utimur, quodam societatis vinculo gaudent, ac cognatione quasi inter se continentur. Vno fine ad vitam hominum beatam, placidam reddendam conspirant; leges civitatum salutem promouent, ac ita denique sunt comparatae, quas si abs humana societate diuellas, ipsam ut humanitatem expulsisse videaris. Quum enim, Seneca teste, nullum animal sit morosius, nullum arte maiori tractandum, quam homo; quum natura contumax sit animus, ac ipse populus multorum capitum bellua; scelera legibus reprimenda atque coercenda,

A

virtu-



virtutes ornandas ac euehdendas esse, euidentissimum. Tollamus leges, nec singuli tantum peribunt homines, sed integrae ciuitates delebuntur, ac penitus euertentur quondam florentissimae. Tollamus leges, et quid principis dignitatem tuebitur? Tollamus leges, et exulabit concordia, beatis sedibus expelletur tranquillitas, aufugiet quies, atque regiones alma pax quaerere dissiisissimas. Exsurgunt immanes regnorum ruinae; ciuitates opibus quondam firmas, copiisque locupletes in summam redigi calamitatem, intacta quondam uirtus nutare, ac in desperationem peritus conuerti uidentur. Vertunt in sua uiscera ciues ferrum, perit litterarum bonarumque artium splendor, ac patria absque externo hoste in cineres atque ruinam euersa, fundirus excisa toti orbi spectaculum rerum praebet humanarum. Ohe iam satis est, horrendam rerump. leges respuentium faciem, legendum ciuitatum detexisse statum! Enimuero legem animam ciuitatum esse, ac perinde felicem aut infelicem euadere remp. prouti bonis aut malis legibus sit temperata scire ac apprime enuncianerunt maiores nostri, sapientissimi, cordatissimi que mortales. Gratulemur reip. in qua tribunal non euersum, legum maiestas non extincta, magistratus autoritas non deleta; in cuius contra sinum ruens imperium, concussaque fugit ciuitas, unde auxilium adstrictus, unde praesidium petit depressus. Gratulemur reip. cui non defuere, quibus, eiusdem salutem legibus ut promoucant, incolumitatem conseruent, ac dum ad regiminis clauum sedent, condendis, promulgandisque bonis institutis famam consequantur, curae fuit cordique. Romulum quondam, romanum imperium quem uidit fundatorem, centum ex ciuibus elegisse, reique ut publicae praesent, pro senili sapientia ciuium salutem amplificarent, iustis uirtutes meritis ornarent, scelera minis et suppliciis adficerent, legibus denique ferendis ciuitatem redderent florentissimam, constituisse, veteres canunt annales. Et quid est quod de iustis legislatorum meritis, et dignitate dubitemus? Quod si enim legum bonarum promulgatores venerati sint maiores; quod

quod si eorum effata, ceu Dei oracula coluerint, eaque vt ευρημοι και δαρον θες habuerint, eorumque studio autoritatem sibi conciliauerint ab omnibus; et nos ingeniorum horum dignitatem negligere-
remus? Est sane quid admirandum, ac ferme diuinum, in adspicien-
dis virorum, qui de patria reque publica optime sunt meriti, exem-
plis effingere sibi aliquid, atque excudere, quod colendo, perfe-
quendo, atque imitando perpetuo nostrum erit, etiam cum reliqua
rerum nostrarum alium atque alium post nos dominum fortientur.
Operae itaque pretium censuimus, quaedam de legislatoribus, quos
parentes videre, atque quorum memoria saluberrimis legibus con-
cedendis ad nostra vsque tempora dimanauit, proferre, lucique pu-
bliae exponere. Graeciam quae praeter nominis famam, eruditio-
nis, bonarumque artium asylum celebratur, salutamus. Contigit
sane illi, quod nescio an vlli, vt gremio suo foueret regendae artis
peritos, reip. gubernandae scientia perpolitos, ac omnibus studiis,
quae virum decent, exornatos. Habuit, qui iuuenes non ad opti-
mae quaeuis instituerent solum, et quorum ad subsellia tamquam ad
mercaturam quotidie ex omnibus terrarum regionibus ingens feret
concurfus, verum etiam, qui ad ciuitatum salutem reiq. publicae
quietem promouendam omnes, quos poterant, intenderent neruos.
Sacram itaque, nostroque studio dignam legislatorum Graeciae me-
moriā recolere, apud animum instituimus. Ne vero libelli spatia
transgrediamur, principes eorundem, atque optimates paucis ex-
ponere periclitabimur. Verum

*Qui legis ista, tuam reprehendo, si mea laudas
Omnia, stultitiam: si nihil, inuidiam.*

Ne vero per deuios anfractus, sed via regia et λεωφορω graf-
semur, scimus enim quam odiosa sit Cirensibus pompa, non omnes
atque singulos Graeciae legumlatores attingemus, sed hos tantum in
medium proferre placebit, qui honestis in legibus constituendis cete-
ris palmam praeripuērunt, ac satis adhuc omni copia circumfluemus.



Adeamus itaque modo Athenienses, modo Laacedemonios, nunc Locrenses, nunc Thurios, ceterosque, quos Graecia sinu fouit suo populos visitemus, iusto filo tractationem nostram persecuturi.

De Graeciae νομοθεσις generatim quaedam proferre, quibus reliqua superstructa maiori luce apparebunt, operae pretium esse videtur. De legum scriptarum itaque ortu commentabimur. Ex moribus *) a maioribus institutis actiones quondam conformabant, in foro omnia diiudicabant, litesque componebant, Graeci. Quum vero omnia atque singula, quae in foro accidunt rite diiudicari haud posse, atque impune saepenumero supplicii ciues adfici grauisissimis re-gundae reipubl. periti animaduverterent, salubres veterum mores literis consignare, de poenis luendis certa ferre iudicia, de litibus componendis instituta sancire, eaque sub Legum scriptarum, per omnes aetates constitutarum, nec maleuolorum, nec temporis, nec iniuriarum furore delendarum, nomine venditare, reipublicae fore consultius, sibi persuaferunt. Graeciae inter populos primi celebrantur

1) Quantum νομος et εθος inter se differant, vel qui a limine gustauerit antiqua, comprehender. Etenim νομος legem scriptam διαταγμα ενυρετον, εθος contra morem, seu consuetudinem, quam vero ut νομος αρετον obseruabant, declarabat. Citemus EYRIPIDEM, qui in Schol. ad Hippolitum v. 90. apprime nobiscum vocum differentiam constituit, νομον dicit το γεγραμμενον διαταγμα, εθος δε το μη γεγραμμενον. Abolita itaque omnia secundum veterum mores decernendi consuetudine leges scriptas introducebant, ita tamen, vt, si ne legibus quidem in foro lites componere liceret, ad maiorum mores renocarent, indeque factorum consilium peterent. Pluribus de hoc instituto disseruit I. G. RICHTER in Diss. de Moribus Maiorum tanquam antiquissimo Iuris Rom. fonte. Multos quoque mores in legum scriptarum numerum esse receptos, quis ignorat? Apprime hinc summus ARISTOTELES in L. II. Metaph. c. 3. sequentia adiecit, cuius quidem verba latino idiomate adscribemus. „Quanta sit consuetudinis vis, veteres leges demonstrant; fabulosa enim pueriliaque, e quibus ortum habuit consuetudo, ad cognitionem eorum, quae Legibus cauentur plus conferunt, quam leges ipsae, quibus causam dedit consuetudo.“ Quo vero modo hae leges sint scriptae, vtrum columnis incisae, an litteris mandatae, pluribus inuestigare superfedemus. Nostrum quae spectant institutum dixisse, sufficiat.

brantur Locrenses, ²⁾ quibus ZALEVCO, viro omni memoria dignissimo, autore legibus scriptis vti contigit. Nec est quod hanc iustam Locrensis laudem denegemus. Consentit nobiscum MARCIANVS HERACLEOTA, siue potius SCYMNVS CHIVS ³⁾.

Τατος δε πρῶτος Φασι χρησάθαι νομοισ
Γραπτοισιν, ἔς Ζαλευκος υποθεθαι δοκει

ac CLEMENS ALEXANDR. ⁴⁾ Ζαλευκος δε ο λοκρος πρῶτος ισορηται νομοι θεθαι. Accidit exinde, diuinis vt fere honoribus eum profecuti sint Locrenses, eumque, VALERIO MAX. ⁵⁾ teste, legibus tam salubribus sancitis sub nomine *Minervae* ciues coluerint. ⁶⁾ Haecenus de primis Locrensiū legibus. Quibus itaque circumspectis, quae ad rem nostram facere videbantur, ipsos legumlatores adaeamus, quos inter Zaleucum primum tenere locum, apud omnes constat.

Locrensiū ciuis ex obscura familia originem traxit ZALEVCVS, eo vero ingenio praeditus, vt singulares eius paene et excellentes animi dotes dominum, in cuius potestate viuebat, non laterent, eumque tam propter morum elegantiam, quam eximias ingenii facultates dimitteret. ⁷⁾ Quo vero, quibus benigna natura ipsum beaverat,

A 3

verat,

2) Qui Locrorum, eorum regionis, reiue publicae status desideret cognitionem adeat STRABONIS *γεωγραφικων βιβλιον* seu res Geographi. p. 179. sq. Edit. curis ISAACI CASAVBONI 1587. fol.

3) V. 313.

4) I Strom. p. 304.

5) L. I. c. 2.

6) V. RAPHAEL TRICHETVS du FRESNE in ep. de Numo Catanensi apud Petr. Seguinum in select. Numismat. antiq. p. 191. sq. IAMBlichVS in Vita. Pythag. C. XXX.

7) Conf. SVIDAM in Ζαλευκος. Contraria fere proponit DIODORVS SICVLVS in *Bibliorb. Histor.* p. 846. ed. Haue. 1604. fol. Ζαλευκος, αἱρ, λοκρος, ανηρ ευγενης, ΖΑΛΕΥCVS Locrensis, αἱρ στῆρε clarus. Optime verò punctum tetigisse videntur, qui SVIDAE partibus fauent, tum quod testibus nitatur locupletibus adfertum, tum quod naturae verique autor ARISTOTELES τας βελτιστας νομοθετας των μεσαν πολιτων ειναι, ορισimos legum scriptores (non principes sed) e mediis ciuibus fuisse censuerit. Plurium exemplis idem confirmat, quibus adhuc ZALEVCVM, EYDOXAM aliofque adiecit V. Cel. BENTLEIVS in *Apolog. pro Dissert. de Epistolis Phalaridis* p. m. 496.



verat, mentis dotes perpoliret magisque excoleret, PYTHAGORAM⁸⁾ adiit, eius discipulis adscribendus. Neque spem omnium fefellit euentus. Legendo enim, meditando, veritatisque perferutandis eo peruenit publice vt in foro agere, ordiretur. At profecto mores, secundum quos omnia in publico diiudicare consueuerant Graeci, incommoda secum ferre haud leuidensia, facili negotio quum animadverterit, penitus eos abolere, litteris contra instituta quaedam s. potius consuetudines consignare, sibi proposuit, quo suis aliquid relinqueret, ex quo in perpetuum mores conformare, iudicia rei in publicae commodum exercere, litesque omnium adplausu componere possent. Leges itaque ZALEVCVS, quae in moribus consistebant, litteris mandabat, ex quibus lex scripta s. νόμος orta. 9) Occurrunt nobis inter νόμοθετες referti ZALEVCVM, negantes. 10) Verum habemus quae illis obiicimus. Prouecamus enim tum ad AELIANVM¹¹⁾, varias qui de ZALEVCO latas exhibet leges, & quas deinceps pluribus excutere, instituumus; tum ad THEOPHRASTVM, qui in opere περί νόμοθετων ZALEVCO mentionem iniicit, deinde ad ARISTOTELEM¹²⁾, expressis qui verbis νόμοθεται, de ait, εγενοντο Ζαλευκος τε λοκροισ επιζεφυγοισ, denique ad TULLIVM¹³⁾ eloquentiae parentem, qui perspicue atque copiose diserit: *Quid quod ZALEVCVM istum negat vllum fuisse Timaeus? At THEOPHRASTVS auctor haud deterior, mea quidem sententia melior. Eum multi*

8) V. LAERT. L. VIII, f. 16. DIOD. SICVL. l. c. BENTLEIVS l. c. p. 339. aliosque.

9) Vides ergo ex Locrensiu mbris ipsi leges ortum traxisse suum, nec ex aliis legibus deriuandas, prouti nobis persuadet STRABO l. c. Ex Areopagitarum, atque Cretensiu institutis descripsisse Zaleucum sua memorat. Verum primus omnium exiit ille νόμοθετες, ac iterum iterumque tum Cretensiu, tum Areopagitarum leges peruolentibus ne vnica quidem occurrit, quae vel apice cum Zaleuci sancitis quadraret. Inter sese enim differre vel maxime, ne talpa sit coecior, quilibet perspicit.

10) Referas huc Cael. BENTLEIVM in apolog. laudata.

11) Var. Hist. II. 37. III. 17. 2. XIII. 24, s. sq.

12) In Rep. Leocror. et L. II. Polit. c. X.

13) L. II, de legibus, et Epist. 25. ad Theodosium.

multi nominant, commemorant vero ipsius ciues, nostri clientes Locri. STRABONEM ¹⁴⁾ his omnibus addimus; της δε των λοιπων νομογρα-
φιας μηθεις Εφορος ην Ζαλευκος συνεταξεν εκτε των Κριτικων νομι-
μων, και λακωνικων, και των Αρεοπαγιτικων Φησι εν τοις πρω-
τοις κεινισαι τετον τον Ζαλευκον κ. λ. Taceo reliquos. Non est
quod litibus hisce immoremur, ad ipsam potius rem tractandam nos
accingamus.

Non LOCRENSIBVS itaque tantum, verum THYRIIS ¹⁵⁾
etiam leges sanxisse ZALEVCVM referunt ¹⁶⁾. Quantum pro in-
stituti atque temporis ratione licebit de Locrensum legibus dicamus.
Exhibuit nobis eisdem IO. WILH. ENGELBRECHT, vel potius
legum διατυπωσιω conscripsit, easve ex POLYBIO, DIODORO,
AELIANO, STRABONE etc. collegit, ex Iure naturae, Romano,
et Peripatericorum scitis illustrauit, ac quatenus cum his conueniant,
exposuit ¹⁷⁾. Quamuis vero in iisdem colligendis et explanandis mul-
tum operae et studii consumferit, vtrum tamen in eo laudandus nesci-
mus, quippe qui Locrensum leges non perspicue satis atque illumi-
nate exposuit, sed satis se muneri fecisse suo ratus, si velamento
quodam indutas, multisque circumstantiis, quae tamen ad rem nihil
facere videntur, circumseptas exhibuerit leges, ita, vt Delio sane na-
tatore opus esset, si omnia atque singula enodare, et perspicue euel-
lere velis. Accedit etiam, quod fontes, ex quibus hausit, haud se-
dulo, vel saltem raro indicauerit. Ne vero facem in alienam mes-
sem mittamus, quantum in nobis erit, ipsas Locrensum leges,
quarum

14) L. c.

15) STRABO L. c.

16) Atheniensibus quoque tulisse leges ZALEVCVM vult BENTLEIUS l. c.
p. 372. Primus (sc. legislator) ait, apud Athenienses fuit Dracon, post
eum Solon, tum Thales, post quem ZALEVCVS. At enim vero, quam
Atheniensibus praescripsisse leges ZALEVCVM ne mentionem quidem ini-
ciant, qui studio de eodem egerunt, vt Aristotelem, Suidam, aliosque
protulimus, non est quod nobis V. Celeberrimi adferretur, errore
potius tam Thaletem, quam ZALEVCVM Draconi et Soloni, viroque po-
terioribus esse adgregatos, censemus.

17) Prodiit libellus Lipsiae 1699. 4.



quarum constitutorem ZALEVCVM celebramus, nude et copiose exponamus, fontes sedulo detegamus, et quae admonenda videntur paucis expediamus.

Tractat in *Prooemio* ¹⁸⁾ quod legibus praescripsit ZALEVCVS quae ad obseruandas, ciuibusque inculcandas leges, necessaria videntur. Praelimiriter ideo, ut ita dicamus, idem illud enunciamus. Edocuit suos:

Dari Deum sapientem et benignissimum. Hoc vniuerso contemplando, rerum ordine perscrutando, nitidaque mundi dispositione perspicienda, ens aliquod, cuius nutu sunt haec procreata, existere patet. Quae in nexu mundano contingunt fata haud esse obnoxia. Quidquid existere, nec casu, nec mortali manu esse productum. Quae tibi accidunt, PERGIT PHILOSOPHVS, a Diis veniunt, hos ergo colito. Quo vero iusto et merito honore eos persequaris pia ac pura mente eos adora. Qui enim sceleribus indulget sincero animo venerari eos nequit. Nec sumptibus, nec diuitiis, innocenti vita virtutis studiosus eos colit. Stude honestati ac iustitiae. His vitam atque diuitias deuoue. Vitae atque famae dedecora pecuniarum iacturae excedit. Perspice finem, temporis, quo viuere desies, memor. Morere itaque, ut te vixisse nunquam poeniteat. Fuge malorum consortium; iis tantum ex quorum conuubio iustior et sanctior reuertaris, adiunge te Comitum.

De lege in genere ita censuit ZALEVCVS, vt non normam tantum, ciuium actiones concernentem, proponeret, verum etiam in eadem legum transgressoribus poenas discitaret, quas quidem tam firmas esse voluit, ne pro sua sententia cuiusque Iudici supplicia statuere liceret. Quum enim antea pro lubitu litem componere, atque poenas ciuibus imponere in veterum potestate situm esset,
penitus

18) Exhibet nobis haec DIODOR. SIC. I. C. STORAEVS. Serm. 42. p. 280. quae ordine quodam congesimus. De legum laude hoc in Prooemio dicere ZALEVCVM aequae ac Charondam meminit TVLLIVS L. II. de legibus; ne huius vero mentionem fieri, qui DIODOR. SICVL. peruoluerit, nobiscum fatebitur.

penitus hunc morem aboleuit, ac consentiente STRABONE ¹⁹⁾ εν τοις νομοις διαγειν τας ζημιυς ηγουμενος τας μεν γνομιας των δικασων ουχι τας αυτας εναι περι των αυτων.

Deinde leges stabiles perpetuoque seruandas esse iure meritoque duxit ZALEVCVS ²⁰⁾. Scimus quidem, concessisse eum quemcumque ad leges promulgandas, atque innouandas in foro apparere posse; verum ex hoc scimus morem quendam actui huic adiunxisse paene horrendum ²¹⁾. Is enim, nouam qui legem inferre, seu immutare apud annum instituerat, laqueo collo adfixo, deque eo pendente publice apparebat, suamque sententiam proponebat. Quae si de reipubl. emolumento, atque salute ageret, legibus inferebatur; sin autem ex eadem detrimenti quid capturam esse remp. autumarent iudices, omnium in conspectu statim laqueo vitam finiebat. Quo more leges promulgandi deterriti ²²⁾, tres tantum exstiterunt, qui de poena oculum alteri excipientis, de diuortio, de puellis orbis, et dotem nullam habentibus a propinquis in matrimonium ducendis egerunt, quorum sententia probata leges inter scriptas est relata. Pluribus haec enodauit DIOD. SIC. I. c. et qui Atheniensium leges optime cum Charondae quadrantes delineauit PETITVS ²³⁾. Leges a ZALEVCO latas

B

prae-

19) L. c.

20) Teste DEMOSTHENE et POLYBIO L. XII. p. 920.

21) Conf. STOBÆI SERMON. XXXIX. p. 229. XLII. p. 280.

22) Non possumus non hoc loco eorum facere mentionem, qui moris huius leges ferendi autorem non ZALEVCVM sed CHARONDAM referunt. Prouocant ad DIODORI SIC. I. c. silentium, quippe qui omnes ZALEVCI quidem leges proferret, huius vero consuetudinis haud meminerit. Equidem nos non fugit in legibus CHARONDÆ recensendis, leges quasdam hoc more latas proferre Diodorum, verum tamen quem quaeso STOBÆI, autoris fide sat digni, testimonia, quae citauimus, latent? Accedit quod ZALEVCI Discipulum ARISTOT. L. II. Polit. c. X. CHARONDAM referant annales, eiusque leges vel maxime cum praeceptoris institutis conueniant. Quid itaque mirum consuetudinem a praeceptore haustam et obseruatam literis de nouo consignasse Charondam? Consentit nobiscum, quem honoris causa nominamus. cel. FABRICIUS in Bibl. Graec. Vol. I. L. II. c. 24. qui cum DEMOSTHENE aduersus Timocratem probat, CHARONDAM cum ZALEVCO ADIODORO esse confusum.

23) In Commentar. elegantis in leges Atticas L. VII. Tit. III. p. 632. L. VI. Tit. III. p. 558. & II. p. 551. Edit. nitida cura Petr. Weslingii Lugd. Batauor. 1742. fol. excusa.

praecipuas sigillatim adaeamus. Occupat primum locum de *adulterio* institutum, quo sanxerat: τον μοιχον αλοντα εκκοπτεσθαι τας οφθαλμους. Verum non tulit duntaxat legem hancce severam, sed suo quoque, vel filii potius exemplo comprobavit. Qui quum επι μοιχεια comprehenderetur, omnium in iudicio accusabatur, eiusque pater, ne legibus firmitatem derogaret, oculis vt priuaretur dicitabat. At mirabilis iudicii huius euentus! Alterum enim solummodo oculum filio erui, alterum sibi, pro patrio in filium adfectu, eradicari iussit, ne visu penitus priuaretur iuuenis. Quis tantum legum autorem non mirabitur, in propria qui saeuit viscera, ne institutorum rigorem faceret irritum. Facti huius testis est AELIANVS ²⁴⁾, VALERIUS MAX. ²⁵⁾, STORAEVS ²⁶⁾, aliique ²⁷⁾.

Quantum ad reipubl. salutem continentia, modestiaque facerent, quum intellexerit νομοθετης, ciuium adfectus, nimiumque in luxuriam amorem non multis pecuniae, quippe quas respicere consueverant, sed ingenioso, teste DIODORO SIC. I. c. poenae genere domare ac reprimere conatus est. Hinc promulgauit:

1) γυναικι ελευθερα μη πλειω απολαθειν μιας δεραπαιδος, εαν μη μεθυσ. i. e. *Mulierem ingenuam, nisi forte ebria sit, non plus uno ancilla comitator.*

2) μηδε εξιεναι νυκτος εκ τας πολεως, ει μη μοιχευομενη. i. e. *Extra urbem noctu pedem ne efferto, nisi cum moechum forte accedit.*

3) Μηδε περιτιθεσθαι χρυσια, μηδε εθνητα παρυφασμενη, εαν μη εταιρειαν. i. e. *Aureum ornatum et intertextas auro vestes ne circumdato, nisi meretricem agere velit.*

Eandem

24) In Histor. Var. L. XXII. c. 24. §. 5. sq. vbi enodatus haec persequitur.

25) L. VI. c. 5.

26) Serm. I. c.

27) Poenam hancce non adulterio sed furto potius esse irrogatam HERACLIDES in Politis, aliique sibi persuadent. Huius vero criminis fuisse se reum ZALEVCVM ex aliis circumstantiis probabile haud videtur. Lubenter quidem largimur, si per furtum non quodcunque, sed Veneris tantum designamus. At enim vero, his quoque concessis, supplicium cum scelere haud conuenire apparet. Oculis enim vel maxime in adulterio peccari, his adiutis amore nos capi, ideoque poena esse illos vel maxime adsciendos arbitratur Legumlator. Scite nobiscum consentit TIBULLVS oculis ipsam amorem designans:

Cynthia priua suis miserum me cepit oculis.

Eandem hanc legem *Syracusano* observasse auctor est PHILARCHVS²⁸⁾. Atheniensibus quoque sancitum fuisse: *Τας εταιρας ανθρα φορειν Meretrices floridas vestes indutae sunt*, memorat SVLDAS et qui hanc legem illustravit SAM. PETITVS²⁹⁾.

4) *Μηδε τον ανδρα φορειν δακτυλιον υποχρυσσον, μηδε ιματιον ισομιλησιον, εαν μη εταιρευνηται ημοιχευηται. i. e. Vir anulum subaureum aut vestem Milesiae parem ne gestato, nisi qui adulterio, vel scortatione se contaminat.* Mansuetudinem tandem, amicitiam omnibus commendat ZALEVCVS, ideoque sanxit:

Μηδενα των πολιτων εχθρον απαλλακτικον εχειν, αλλα ετοιμην εχθραν αναλαμβάνειν ως ηζοντα παλιη εις συλλεσειν, και Φιλικων. i. e. Ne quis civium implacabili odio inimicum persequatur, sed ita inimicitias cum illo suscipiat, tamquam brevi cum illo in gratiam et amicitiam rediturus. Magistratus ne arrogantes sint, et superbi, neque ad vllius odium aut amicitiam iudicia sua accommodent, praecipit.

Vltimum tandem adiunxit institutum, quo vinum aegrotis interdiceret, ita quidem, vt si illud inscio et invito Medico gustaverit, mortis reus haberetur³⁰⁾. Ex his aliisque legibus, quas attulimus rigidam tenuisse poenarum normam ZALEVCVM, sole clarius apparet. Quaecunque vel leuidensia commissa supplicio persequabatur atrocissimo, ac profecto non leges sed *θεσμοι*, Solonis institutis haud impares, dici merentur. Exinde factum est, vt totius fere Graeciae incolae has leges non admiserint, sed mitiores plane atque omnem plane severitatem respuentes promulgarint. Haecenus de ZALEVCO, ad CHARONDAM transeamus, satis muneri nostro facturi.

CATANAEVM³¹⁾, CHARONDAM, legislatorem civium eruditionis laude consummatissimum, ac Pythagorae auditorem³²⁾ annales celebrant³³⁾. Ciuibus³⁴⁾ suis aequae ac ceteris Italiae et Siciliae

B 2

rebusp.

28) Apud Athenaeum L. XII. c. 4. 29) I. c. L. VI. Tit. V. VII. p. 576.

30) AELIANVS L. II. c. 37.

31) V. ARISTOTEL. I. c.

32) SENEC. Ep. 91. VOSSIVS de Sect. Philos. L. VI. §. 26.

33) DIODOR. SICVLVS L. XII. p. m. 79. cum αριστον τον εν παιδεια δαυμαζομενον πολιτων nuncupat.

34) V. AELIAN. V. H. L. III. c. 17. 92. χαρονδίας τω εκ κατωκη, και τω εν ερηγια επηρωρωσιν.



rebusp. leges tulit. Callipolis, Aristotele duce³⁵⁾, Eubaea, Leon-
tini in Sicilia, Rhegii³⁶⁾, Crotoni, Sybarae, Mazaceni³⁷⁾ atque
Thurii³⁸⁾, sibi legum autorem vindicant CHARONDAM, omnibus
tamen Catanaei palmas praeripiunt, cuius sui memoriam diuino honore
prosequentes³⁹⁾. Leges quod spectat, circumspectis ceterarum gentium
legibus, accurateque perpensis, consentiente DIODORO l. c. quas fa-
luberrimas habuit, collegit, et sub legum nomine suis vendicauit.
Non scripsisse vero solum haec instituta, sed ciuibus etiam decantanda
tradidisse volunt nonnulli, STRABONIS l. c. testimonio nisi, quippe
qui νομοδον CHARONDAM, s. vii agunt legum decantatorem nuncupat.
Plurimos populos haec, leges ciuibus inculcandi methodo vfos fuisse, ve-
teres memorant. Scimus enim Cretenfes⁴⁰⁾, Agathyrsos⁴¹⁾, Athenen-
ses⁴²⁾ mortalium antiquissimas instituta sua, litterarum dum rudes
essent, ne penitus obliuiscerentur, cantasse. Quod si vero CHARON-
DAM legum decantatoris nomine insigniat STRABO, ad hunc mo-
rem non respexisse videtur; siquidem, ut ut optimus verborum suo-
rum interpres dixisse eum νομοδος eam ob rationem exponit, ος
εστιν αυτοις εξηγητης των νομων, και διαιτης οι παρα εσσηταιοις νομοιοι;
interpret, ait, legum ipsi est, sicuti apud Romanos Iæti celebrantur.
Sequamur itaque legibus in exutiendis ducem DIODOR SICVL. l. c.
Insignem legum numerum tenebant Thurii, quas ad amplificandas
augendasque omnem operam studiumue impendebant. Verumta-
men accidit reipublicae, (quod, Platone teste, fere omnibus, quae, quo
plures teneant leges, eo plures foueant lites, atque mores malos, sicuti
ibi plurimi grassantur morbi, vbi plurimi Medici aluntur), ut, prouti
legum

35) A SCYMMO CHIO X, 280. sq.

36) AELIAN. l. c. PORPHYRIUS p. 14. IAMBLICHVS de Vit. Pyth. c. VII.

37) STRABO L. XII. p. m. 371.

38) DIODOR. SICVL. l. c. Thurii inde nonnumquam nomine insignitur
Charondas. v. VALER. MAX. L. VI. c. 5. quippe quibus leges pro-
mulga it Errant vero pro *Thurium Tyrium* legentes, eunque Carthagi-
nensium νομοδοτης habentes. Verum obierunt iam iam hunc errorem
VOSSIVS l. c. 10. IONSIUS in Disf. I. de Hist. Peripatit. p. 32. aliique.

39) IAMBLICHVS in Vit. Pyth. c. XXX. TRICHETI libellus supra lauda-
tus. GRONOVII Antiquitat. Graecar. T. X. p. 569.

40) AELIANVS H. V. L. II. c. 39

41) ARISTOTELES Problemat. Tmetate XXX. Probl. 28. plura conf. in
BENTLEIO l. c. p. 373. hunc qui morem apprime enucleauit.

42) HERMIPPVS L. VI. de Legumiat. apud Athenaeum L. XIV. p. 619.

legum numero, sic vitiiis, atque sceleribus cerefis palmam praeriperet. Tantam legum cateruam vt enucleemus nec operae pretium foret, nec instituti ratio paeretur. Palmarias itaque paucis exponamus. Quorum itaque primam hanc obseruato:

Quaecunque femina s. maritus ad secundas nuptias transit, ideoque liberis suis perperam consultit, e senatu consilioque patriae vt dimoueatut suadet. Etenim vel primae nuptiae fausto omine sunt peractae, pergit vomoderus, et tunc huic felicitati adquiescendum; vel infelici fidere sunt initae, et tunc denuo fato huic sese committentes insipientibus esse accensendos, autumauit 43).

Nouam legem de malorum consortio effugiendo tulit. Quum enim bonorum ingenia et mores per amicitiam et consuetudinem cum prauis perueriti, et integerrimorum animos veluti morbi contagione infici et corrumpi sentiret Charondas, seuere interdixit *τη των πονηρων Φιλια τε και συνθηχεια χηρσαθαι*. Hanc vero qui legem respuerent grauisimam adfeci supplicis praecipit.

De Orphanorum tutela hanc legem promulgauit: *Των ορφανικων χρηματων επιτροπειν τις αχχιεις τις απο πατρος, τρεφεθαι δε τις ορφανος παρα τοις συγγενεσι τοις απο μητρος*: Hereditaria orphanorum bona agnatorum tutelae; pupillorum vero educationem cognatorum curae commendauit. Quis legislatoris prudentiam hoc in instituto non mirabitur? Cognatis tradidit corporis curam, huic maiori fide prospecturos ratus, quoniam si etiam decederet orphanus ipsorum nihil interesse, arbitrarentur. Agnatis, vt pupillos alerent, haud conueniens opinatus est, quoniam hi casu vel dolo malo facili negotio pupillorum vitae insidias struere possent, quo eo citius hereditatem sibi adquirerent. Bonorum potius curam iis demisit, optime his vt consulereut, emolumento prospicerent, et vt augmentum caperent, studerent; quippe quae, si tandem decesserit pupillus, certo certius ad se redundare intelligebant; eoque ipso, quo plura coaceruarent, eo maiori sibi fore vsui, autumabant 44).

De

43) Huc spectant veteris Comici cuiusdam Graecanici versus

*Ο παισιν αυτη μητρειαι επιτρογων,
Μητ' ευδοκειειδα, μητε μετεχεται λογη
Παρα τοις πολιταις — —*

Suis noueream liberis qui induxerit, Nullo sit ille dignitatis

In gradu, Nullum ille ciuium capeslat munus. — —

44) Eandem ferme legem Atheniensibus suis sanxit Solon, pupillorum bonis consulturus, vt edocuit LAERTIVS in *Solonis vita* et SAM. PETITVS l. c. P. 545. et 591. quae fusius ibi tractantur.

De militibus transfugis, vel signa deserentibus ita existimavit: nec capitis nec vitae supplicio esse adficiendos, sed ignominia potius facinus hocce luendam. Tum enim mortem oppetere longe praestare, quam ignominiae dedecus pati; tum ad futuras belli necessitudines, e vita non latos reservari heroes sibi persuasit. Voluit itaque omnes militiam detrectantes *εν τη αγορα εφ ημερας τρεις καθησθαι εν εδησι γυναικευς* ut muliebri vestitu amicti triduum in foro sederent ⁴⁵⁾.

Quanti ad civitatum splendorem, rei que publicae bene conditae salutem litterae faciant atque scientiae bene intellexit. CHARONDAS, omnes hinc et civium filii in bonis litteris instituerentur, civitate magistris stipendia erogante, instituit; bene atque sapienter et effatus: *τις μεν ξην την Φυσιν αιτιαν υποληπτεον, τς δε καλως ξην, την εκ των γαερμικτων συγκειμενην παιδειαν*: i. e. vitam quidem a natura tribuit, bene autem beatique vivendi rationem litterarum disciplinae acceptam esse referendam, statui debet.

Tendamus ad ultimam legem, finem recensionibus impositurij. Μηδενι μεθ' οπλς εκκλησιαζεν, gladio vestitus ne quis in concionem prodeat. f. vii EVSTATHIUS ⁴⁶⁾ expressit *μηδενι Φορην οπλα εν βαλευτηριω* ⁴⁷⁾. Mirum sane et CHARONDAE contigisse, quod ZALEVCO evenisse supra p. x. memoraavimus; quippe qui suo exemplo, suaeque vita valorem, ac incorruptam institutis suis integritatem addidit. Accidit enim, ut nescio quo casu, gladio cinctus urbe egraderetur, ac redux factus tumultui, quem populus excitauerat, sese immiseret. Qui quum ferro indurum in concionem prodire illum cerneret, vno ore vociferati sunt omnes: *καταλελυκας τον ιδιον νομον, legem abs te conditam ipse destruis*. At ille, *minime*, ait, statimque stricto ense viscera sua transigit. More itaque sua, a legibus hand esse discedendum, easque tenaci animo conferuandas, demonstravit.

At manum de tabula! q. *ηδησας ομοθυμω* il. *εραρ*

45) Neque ceterae Graeciae gentes militum ordinem deserentes, exceptis transfugis, quibus lege quadam capitis poena addita erat, v. PELLIVM l. c. p. 647. capitis poena prosequabantur. Si enim Atheniensium remp. consideraveris, legem tenuisse deprehendis, qua cautum erat omnem *απαρτευτον, και λαπειτα την ταξην* publicis dignitatibus privandum, neque publica iudicia frequentandum, neque coronandum, sed pecuniae multa adficiendum esse. Diserunt pluribus hac de re PELLIVS l. c. L. VIII. Tit. III. MEYRSIVS Them. Att. l. I, 9.

46) in *Iliad.* p. 87.

47) Apud Athenienses quoque hanc floruisse legem scimus ex LUCIANO in *Anacharside* e solonis persona c. XXXIV; omnibus Graeciae populis in vfu fuisse docet THEVYDIDES *Histor.* l. c. VI. *εραρ* *ιστε* *εραρ*

Ca 289

VD18

ULB Halle
008 551 421

3



2334



19

51


H. aug. 1. num. 14.

DE
GRAECIAE LEGISLATORIBVS
 QVAEDAM EXPONIT

ATQVE
AMICIS SVIS TENERRIMIS
 STADIO ACADEMICO FELICITER PERACTO,

IBVS
 ECATVR
VANGEROW

DR
 AE GRYPHISWALDAE



XV.
 CAE,
 STI GRVNERTORVM.

30CK.

